

factus monachus *multa dictavit*, super regulam *beati* Benedicti utilissimam expositionem edidit. Historiam gentis sue, id est Longobardorum, et nonnulla alia eleganti stilo composuit. Inter que versus reciprocos elegiaco metro digestos conscripsit. Ad *quem* prefatus K(arolus), qui eum exiliari iusserat, audito quod in hoc loco monachicum habitum assumpserat, plurimum *ei* congratulans satis affabiles et iocundas litteras metricae compositas misit; de quibus hic versus aliquot inserere libuit:

Hinc celer egrediens facili mea carta volatu

Per silvas, colles, valles quoque prepete cursu

Alma Deo cari Benedicti tecta require.

Est nam certa quies fessis venientibus illuc,

Hic olus hospitibus, piscis, hic panis habundat,

Pax pia, mens humilis, pulcra concordia fratrum,

Laus, amor et cultus Christi simul omnibus horis ¹⁾.

[II 59] *Sanctus* Dominicus obiit 1031 ferme octogenarius.

[II 65] *Sanctus* Stefanus rex Ungarie obiit sub *Conrado* 2^o.

[II 77] Benedictus cum per annos 12 sedem apostolicam obsedisset potius quam sedisset, a Romanis est expulsus et Iohannes Savinensis episcopus, qui Silvester vocatus est, non tamen gratus [sic!] in Romanum pontificatum subrogatus; *post 3 menses repulsus et B(enedictus) repositus, qui se videns omnibus odiosum occulte* cuidem [sic!] archipresbitero Iohanni pecunia magna vendidit papatum. Qui Iohannes dictus est Gregorius sedens 2 annis et 8 mensibus. Tunc H(einricus) ^{3us} tot nefandis de *eis* auditis anno Domini 1047 Romam accelerat et universale ibi consilium fieri statuit. Romanum pontificem, *ut ibi* presideret, decenter invitat. Quid multa? Concilio habito et synodicis canonicisque sententiis convictus Gregorius symoniacus sponte sua sede desiliit, pontificalibus se infulis exuit ac terre prostratus invasi emptique honoris indulgentiam sibi concedi humiliter petiit. Quo facto imperator valde letificatus cum omnibus eiusdem concilii episcopis Romam venit et in ecclesia beati Petri *convocato* clero populoque Romano, postquam, quid Sutri egisset, exposuit, tractare demum de ordinatione ipsius Romane ecclesie cepit. Facta itaque discussione, quisnam in eadem ecclesia dignus tanto sacerdocio haberetur, cum nullus heu proch dolor! reperiri valeret — omnes enim exemplo miseri capitis preter cetera vicia tum precipue fornicacionis ac symonie peste languebant ²⁾ —, electione igitur

¹⁾ Paulus dyaconus — horis: vgl. *H fol. 112v—113r*; G. W. Leibniz, *Scriptorum Brunsvicensia illustrantium tomus secundus* (Hannover 1710) S. 1060 f.

²⁾ dignus tanto sacerdocio — languebant; vgl. *H fol. 140v*; Leibniz S. 1086.